



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Cæremoniale FF. Minorum Strictioris Observantiæ Almæ
Provinciæ Saxoniae S. Crucis**

Sächsische Franziskanerprovinz vom Heiligen Kreuz

Nevhsii, 1706

VD18 10502327

Titulus III. De benedictione agni Paschalis in festo Paschalis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-71672](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-71672)

TITULUS III.

De Benedictione Agni Paschalis, Ovorum et
Panis.

IN festo sancto Paschæ fit Agni Paschalis solemnibus benedictio hoc ritu :

Ponantur in mensa Agnus Paschalis affatus, aliæve carnes, ova & panis. Sacrista curam habet ut tempestivè habeatur aqua benedicta; Acolythus crucem defert, cui assistunt duo Versicularii, omnes superpelliceis induti, tenentes candelabra cum candelis accensis. Tum Praeses assumpta stola benedicit agnum, ova & panem, ut sequitur :

ÿ. *Adjutorium nostrum in nomine Domini.*

R. *Qui fecit caelum & terram.*

ÿ. *Dominus vobiscum.*

R. *Et cum spiritu tuo.*

O R E M U S.

DEus qui per famulum tuum Moysen in liberatione populi tui de Aegypto, agnum occidi iussisti, in similitudinem Domini nostri Jesu Christi, et utrosque postes domorum de sanguine eiusdem agni perungi praecepisti: ita benedice et sancti-
ficare digneris hanc creaturam carnis, quam nos famuli tui ad laudem tuam sumere desideramus, per resurrectionem eiusdem Domini nostri Jesu Christi, qui tecum vivit et regnat in saecula saeculorum. Resp. Amen.

O R E M U S.

Subveniat quaesumus Domine tuae benedictionis gratia huic ovorum creatura: ut eibus salubris fiat fidelibus tuis,
in tua-

in tuarum gratiarum actione sumentibus, ob resurrectionem
Domini nostri Iesu Christi : Qui tecum vivit et regnat in
secula seculorum. Resp. Amen.

O R E M U S.

Domine Iesu Christe Panis Angelorum, panis vivus æ-
ternæ vitæ bene ✠ dicere dignare panem istum, sicut be-
nedixisti quinque panes in deserto, ut omnes ex eo gustantes,
inde corporis et animæ percipiant sanitatem : Qui vivis et
regnas in secula seculorum. Resp. Amen.

Benedictione peracta Acolythus cum Versiculariis discedunt, &
dicitur Benedictio mensæ.

TITULUS IV.

Forma Absolutionis ab Hæresi.

Postquam Hæreticus est sufficienter instructus in articulis Fidei,
adducatur coram testibus ad aliquod altare, & si sit Hæreticus ro-
leratus in partibus Germaniæ, non fiant aliæ Cæremoniæ verberatio-
nis, &c. Sed jubeatur facere professionem Fidei sequentem editam à
Pio IV.

Professio Fidei à Pio IV. decreta.

EGO N. firma fide credo, & profiteor omnia, & singula, quæ continentur
in Symbolo fidei, quo sancta Romana Ecclesia utitur, videlicet : Credo
in unum Deum Patrem Omnipotentem, Factorem cæli & terra, visibilibus
omnium & invisibilibus. Et in unum Dominum Iesum Christum Filium Dei
unigenitum, ex Patre natum ante omnia secula : Deum de Deo, lumen de
lumine, Deum verum de Deo vero ; Genitum non factum consubstantialem
Patri per quem omnia facta sunt. Qui propter nos homines, & propter
nostram salutem, descendit de cælis. Et incarnatus est de Spiritu sancto, ex

Mm 3

Maria